DE

PHLEBITIDE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XI. M. AUGUSTI A. MDCCCXLII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUST. ADOLPH. KRUEGER

GEDANENSIS.

OPPONENTIBUS:

BRUENING, med. et chir. Dr.
SALA, med. et chir. DD.
SIMON, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

PATRI

OPTIMO, BENIGNISSIMO

NEC NON

FRATRIBUS

CARISSIMIS, DILECTISSIMIS

GUILELMO ET JULIO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Quum sancti majorum nostrorum mores requirant, ut medicinae candidatus, in Academiis Germanicis eruditus, ad obtinendos supremos in utraque medicina honores, inaugurale aliquod edat opusculum, satisfacturum me huic ritui existimo, si materiam quandam ad scribendum eligam, de qua jam multi viri doctissimi disseruerunt. Nam si quis, artis medicinae tiro, de morbo quodam aliquid novi allaturum se dictitaret, audaciae atque arrogantiae notam haud immerito in se verteret, quod facillime cuique patebit, satis magna eum carere experientia, qua huic operi par esse possit. Multo magis consentaneum esse puto, virorum doctissimorum sententiis comparatis, optimisque ex eorum scriptis collectis, ipsum pro viribus suis judicare eum,

qui ad medicinae studium accessit. Itaque de phlebitide disserere mihi in animo est, non quod hujus morbi specimina saepissime oculis meis oblata sint, sed quod mihi ipsi emolumentum haud spernendum esse videtur, si morbum, ex quo homines variis temporibus summum ceperint detrimentum, accuratius attingam.

Vos autem, lectores benevolentissimi, ut errores, si quos commiserim, justa humanitate et indulgentia excusetis, oro atque obsecro.

I. HISTORIA MORBI.

Quamquam temporibus antiquissimis medici venarum inflammationem existere putaverunt, tamen accuratiorem ejus cognitionem recentissimis debemus.

Primum Hippocratem(1) haud fefellit, quibusdam in morbis renum et lienis venam cavam et totum venarum systema inflammari posse, et paullo post Aretaeus (2) inflammationem venae cavae optime descripsit; tum autem hic morbus paene omnino neglectus est, donec A. Paraeus (3) duo specimina phlebitidis e venae sectione ortae attulit, quorum unum in brachio Caroli IX regis sine periculo finitum est, alterum autem in gangraenam transiit. Fabricius Hildanus vero, quum brachium amputare cogeretur, quod ex venae sectione gangraenosum

---

(1) Hippocr. de intern. affect. c. 19 et 20.

(2) Aretaeus de causs. et sign. acutor. morb. Lib, II, cap. 8.

(3) Paré oeuvres lib. X. de plaies en particulier. pag. 401.

redditum erat, non venas brachii, sed tendinem musculi bicipitis esse correptum existimavit.

Dionis (1) phlebitidem, si ex venae sectione in brachio orta erat, altero in brachio sufficientem sanguinis quantitatem mitti jubet. Denique Morgagni (2) et Hallerus (3), anatomia pathologica ducti, complures casus inflammationis venae cavae tradiderunt. Doctissimus Boerhave (4) modo existere posse phlebitidem opinatus est, a se autem observatam esse nullo loco dicit. Denique John Hunter (5) demonstravit, affectiones illas dolorificas, quae saepe post venae sectionem accidere soleant, non a laesione nervi alicujus aut tendinis, sed ab inflammatione venae ipsius ortum ducere. Illum virum doctissimum medici anglici Clarke (6) et Wilson (7) se-

---

(1) Cours d'opérations de chirurgie VIII demonstr. pg. 630.

(2) Morgagni de morb. chirurg. et univers. Epist. anatom. medic. 56. art. 10. et epist. 53. art. 37.

(3) Opuscul. patholog. observ. 20.

(4) Aphorism. de cognosc. et curand. morb. §. 373—374. Cf. Gerard van Swieten comment.

(5) Transactions of a society for the improvement of med. and chir. knowledge. Vol. I., pag. 18. London 1793.

(6) Practical essays on the management of pregnancy and labour, and on the inflammatory and febrile diseases of ling — in women 1793.

(7) Transactions of a society for the improvement of medical knowledge. Vol. III., pag. 65.

cuti, summam operam navaverunt his morbis et perscrutandis et leniendis, quibus brevi tempore contigit, ut intelligerent, phlebitidem non solum ex venae sectione male instituta oriri, sed crebro sine hac existere, atque vitae summum afferre periculum.

Eodem modo etiam alii in dissecandis corporibus ad hanc rem animum adverterunt, ut Abernethy, Sherwen, P. Frank, Schmuck, Meckel (Sasse), quorum observationes memoratu dignissimas Reil (1) in pyretologia tradidit. Attamen hae observationes externarum modo et venarum uteri inflammationes complexae sunt; recentissimis demum temporibus ex symptomatibus interna quoque phlebitis cognita est, cujus exempla plura eximia nobis relata sunt a Puchelt, Dance et Arnott, J. Hodgson in: Medicinische Zeitung, herausgegeben von dem Verein für Heilkunde in Preussen. 1833. No. 26. 1834. No. 47. 1835. No. 37.; in Schmidts Jahrbüchern, Band 2, S. 68 u. 77. Band 5, S. 232. Band 8, S. 20, 21 und 272. Band 11, S. 298. Band 10, S. 302—5. Band 12, S. 343. Band 18, S. 301. Band 19, S. 168. Band 21, S. 18. Band 22, S. 143. Band 24, S. 76. Band 25, S. 65. 1ster Supp. Band, S. 281. In Caspers Wochenschrift 1835. No. 45.

(1) Reil Bd. 2, Cap. 5.

Pylaephlebitidem Ill. Schoenlein in nosocomio caritatis Berolinensi jam inter vitam et duobus quidem mensibus ante mortem aegroti cognovit anno 1841, quam observationem una cum undecim ei similibus affert Messow (1). Quum autem in phlebitide saepe febris observata sit, typho haud dissimilis, nonnulli opinati sunt: in peste orientali, typho, praecipue vero in iis morbis malignis, qui ex veneno cadaverino, ex anthrace et malleo equino oriantur, reactionem febrilem vitaeque periculum saepe ex phlebitide pendere, Ribes (2), Brechet (3), Armstrong (4), Bouillaud (5) quam sententiam falsam vituperat Schoenlein (6).

---

(1) De pylaephlebitide diss. inaug. Berolini 1841.

(2) Exposé succinct des recherches faites sur la phlébite in: revue médicale française et étrangère. Année 2. tom. 3. pag. 5. 1825.

(3) Dictionnaire des sciences médicales tom. 2. pag. 325. tom. 3. pag. 317.

(4) In London medical repository vol. 7.

(5) Recherches cliniques pour servir à l'histoire de la phlébite, in revue médicale. Année II. tom. 2. Avril 1728. pag. 71. 424.

(6) Allgemeine und specielle Pathologie und Therapie. St. Gallen 1841. Tom. I., pag. 153.

II. LIBRI CONFERENDI.

J. Hunter: Transactions of the society for the improvemend of med. and chirurg. Knowledge. Vol. I. 1793. pag. 18.

Schmuck: Dissertatio sistens observationes medicas de vasorum sanguif. inflammatione. Heidelberg. 1794.

J. G. Guil. Sasse: dissertatio de vasorum sanguifer. inflammatione. Halae, 1797.

Longuet: dissertation sur l'inflammation des veines. Collection des thèses de Paris 1815.

J. Hodgson: Von den Krankheiten der Arterien und Venen. Aus dem Englischen übersetzt und mit Anmerkungen des Dr. Kreysig und Koberwein versehen. Hannover, 1817.

Benjamin Travers: On wounds and ligatures of veins. Surgical essays by Astley Cooper and Benjamin Travers. Pars I. edit. 1818.

Carmichael: Transactions of the association of fellows and licentiates of the kings and quuens college of physicians in Ireland. Vol. II. 1818.

Schwilguét: Faites pour servir à l'histoire des inflammations des veines. Bibliothec. med. Tom 16. pg. 194.

A. B. Puchelt: Das Venensystem in seinen krankhaften Verhältnissen. Leipzig, 1818.

Brechet: De l'inflammation des veines ou de la phlébite. Journal complém. du dictionnaire des sciences médical. Fevrier 1819. Tom. 2. pag. 325.

Peter Frank: Epitome de cognoscendis et curandis hominum morbis. Lib. II. pag. 175.

Reil's Fieberlehre. Bd. II. S. 320.

A. N. Gendrin: Anatomische Beschreibung der Entzündung und ihrer Folgen. Aus dem Französischen übersetzt von Radius. Leipzig, 1820. Theil 2.

F. Abernethy, essay on the ill consequences of venesection. Surgical works. vol. II, pag. 150. Lond. 1823. The Laucet February 9th. 1828. morb. hist. Mémoires de l'Academie royal de chirurgie. Tom. 9. pag. 140. Paris, 1757.

Bunny, dissertatio de inflam. venarum. Edinburg, 1822.

Stanislaus Czarnowski, dissertat. inaug. chirurgico-practic. de phlebitide. Wilnae 1823.

Velpeau, Archives générales de Médecine. Octbr. 1824.

F. A. G. Berndt, phlebitis in Rust's theor. practischem Handbuche d. Chirurgie. Berlin u. Wien. Bd. 13.

H. Amblard, de la phlébite aiguë diss. Paris, 1825.

L'Oreille — Lesjardins, essay sur la phlébite aiguë ou l'inflammation aiguë des veines. Paris, 1826.

F. Gultmann, dissertatio de phlebitide seu inflammatione venarum. Berol. 1826.

M. G. Mende, diss. medico-chirurgica nonnulla de venarum inflammatione praesertim phlebotomiam excipiens. Dorpat, 1826.

Paletta, de inflammatione venarum (in exercitat. pathol. pars 1, pag. 20).

Chapmann, Neue Sammlung auserlesener Abhandlungen. Bd. 10. Heft 4.

M. A. Beguin, über phlebitis oder Venen-Entzündung. (Nouvelles bibl. med. November 1829.)

Tonnellé, mémoire sur les maladies des sinus veineux de la dure-mère. Paris, 1829.

Guthrie, on Gun-Chot wounds. edit. III. 1827.

Berend u. Moldenhawer, Neueste medicinische Journalistik d. Auslandes. April 1830. S. 14.

Cruveilhier: Anatomie pathologique XI livraison, phlébite et abscès viscéraux à la suite des plaies, des grandes opérations chirurgicales et de l'accouchement.

Dance u. Arnott: Ueber Venen-Entzündung und deren Folgen. Aus dem Englischen und Französischen übersetzt von Dr. Himly. Jena, 1830.

F. A. Balling: Zur Venen-Entzündung. Würzburg, 1829.

M. E. A. Naumann: Handbuch der medicinischen Klinik. Berlin, 1830. Bd. II. S. 644.

Thümen: De phlebitide. Diss. inaug. Berol. 1831.

Schürrings: De phlebitidis acutae duabus speciebus. Diss. inaug. Berol. 1835.

Rieseberg: De phlebitide. Diss. inaug. Gryphiae, 1836.

Schlochauer: De phlebitide. Diss. inaug. Berol. 1836.

A. Baczynski: De venae portarum inflammatione, commentatio pathologica. Turici, 1838.

Schoenlein: Allgemeine und specielle Pathologie und Therapie, von seinen Zuhörern herausgegeben. St. Gallen, 1841. Bd. I. S. 153.

III. AETIOLOGIA.

a) Causae praedisponentes individuales sunt stagnatio sanguinis in systemate venae portarum, una cum varicositate venarum cutanearum; atque inclinatio ad erysipelas, cui rei homines illa diathesi laborantes sunt argumento, inprimis autem constitutio corporis atrabilaris altius progressa. (Puchelt.) Itaque phlebitis saepe conjuncta est cum haemorrhoidibus et menstruatione irregulari et cum dyscrasia rheumatica et arthritica (1); praecipue

(1) Schmidt's Jahrbücher Band 8, S. 272.

vero puerperium phlebitis uterina sequitur atque phlegmasia alba dolens puerperarum.

Tamen negari non potest, phlebitidem saepe ex mutationibus terrestribus vel cosmicis, vel ex ambabus ortum ducere. (Dance causas praedisponentes omnino negat.)

Saepe enim per menses vel potius per complures annos, etiamsi venaesectiones pessime institutae sint, phlebitidem oriri non videmus; aliis autem temporibus epidemicam quandam observamus: sic Parisiis 1825 (Amblard) et 1828 (Dance l. c. pag. 99.), 1833 Monachii (Daser (1)), anno 1834 et 35 in Germania septemtrionali et Gryphiae anno 1840, ubi imprimis phlebitis uterina ingrassata est. Memoratu autem dignissima mihi videtur observatio illa doctissimi Hope (2): phlebitidem in nosocomio morborum febrilium Edinburgensi, ubi venaesectiones permultae instituantur, rariorem esse, in nosocomio autem infirmari, eadem illa operatione rara, frequentissimam; qua ex re concludi certe potest, conditiones locales ad phlebitidem procreandam saepe vim habere maximam.

b) Causae occasionales semper sunt laesiones seu mechanicae seu chemicae. Frequentissime phlebitis occur-

---

(1) Dissert. inaug. de phlebitide. Monachii 1833. pag. 4.

(2) Bulletins de sciences médicales. tom. 9.

rit post venae sectionem, si instrumento obtuso aut impuro instituta est, ut materia noxia inquinato, aut si aqua vel spongia impura vulnus ablatum, atque fascia sordida vulneri nimis anguste imposita est, aut si, ut ipse Gryphiae observavi, apex instrumenti in osse inhaesit, quum chirurgus in extremitate inferiore institueret venae sectionem. Maximi momenti est vulneris margines per primam intentionem conjungere, si enim vincula post operationem male applicantur, si membrum movetur aut urgetur, vena facile inflammatur. Tamen post venae sectionem exactissime instrumentis quam maxime purificatis perfectam phlebitis oriri solet in iis hominibus, qui dispositione illa morbosa universali, de qua supra dictum est, praediti sunt. Neque vero modo venae sectio culpanda est, sed aliae quoque laesiones, ut contusiones, vulnera cujusvis generis, compressiones continuae, fracturae ossium complicatae atque comminutae, venarum ligaturae (1), varicum operatio (2), panaritium et polypi (3) et amputationes (4);

---

(1) S. Cooper, Handbuch der Chirurgie in alphabetischer Ordnung. Bd. 3, pag. 426.

(2) Cruveilhier, l. c. Les phlébites sont le plus ordinairement le résultat d'une solution de continuité des veines. Ainsi la saignée, l'excision et même l'incision des veines variqueuses, des opérations chirurgicales ou de blessures par instrument piquant, tranchant, et surtout contondant, des plaies

quod crebro pus dissolutum ichorque sphacelosus resorptus in organis remotis deponitur, atque perniciosissimas phlebitidis formas gignit.

Porro summum damnum atque periculum afferunt contagia nonnulla, quorum venenum in venas receptum est, exempli gratia malleus equinus, anthrax, virus cadaverinum (1) et anguinum.

Neque minus phlebitis ex aliis morbis inflammatoriis et dyscrasicis originem ducere potest, ita ut post hepatitidem, pneumoniam, splenitidem et metritidem saepe inflammationem venae cavae, portarum et umbilicalis observemus; et in ambitu ulcerum inveteratorum, praecipue illorum, quae tela cellulosa indurata cincta sunt, venas crebro inflammatas, interdum etiam jam obliteratas inveniamus.

IV. SYMPTOMATOLOGIA.

Phlebitidis symptomata semper differunt, quod decursum acutum aut chronicum, quod extensitatem et quod venarum cursum aut situm, attinet.

A. Symptomata localia.

a) Dolor ardens, premens, versatilis, venae cursum sequens, a peripheria corporis ad truncos vasorum majores et cor. Quo est phlebitis acutior, eo dolor vehe-

---

envenimées, voilà les causes les plus fréquentes de cette funeste maladie.

(3) Puchelt, l. c. pag. 70.

(4) Dance et Arnott, l. c. pag. 67 et p. 65.

(1) Berndt's Entzündungen. Th. I, pag. 130 u. 145.

mentior, neque solum in vena ipsa, sed etiam in partibus adjacentibus, ut in tela cellulosa et musculis, et in iis, ad quas vergit vena, percipitur, atque motu aut compressione augetur; intrante autem exsudatione saepe remittit, praesertim cum in corporis cavis venae affectae sunt.

b) Tumor perspicuus, si vena in peripheria sita est, durus, initio funiculo similis, tum durante inflammatione et tela cellulosa intumescere solet, ita ut vena ipsa tumefacta porro distingui non possit; in phlebitide chronica vero nodose saepenumero vena intumescit.

c) Rubor nigricans, saepe flammeus, qui secundum venae decursum telam quoque cellulosam esse inflammatam indicat.

d) Functio venae turbata ex iis, quae inflammationem sequuntur, cognoscitur, ut ex tumore partis aegrotae oedematoso, qui interdum cum induratione telae cellulosae conjunctus est; et ex immobilitate earum partium, per quas vena currit.

B. Symptomata universalia seu reactio febrilis.

Inflammatio partialis venarum minorum externarum saepe sine febri existit, crescente autem inflammatione, febris adesse solet, et quidem

a) febris activa, sthenica, inflammationis reactione producta. Tum pulsus fit tensus, plenus (1), frequens, facies rubescit, oculi splendent, calor ingens, cutis sicca, excretiones et secretiones alienatae, urina parca, rubra aliaque febris inflammatoriae symptomata intrant; saepissime vero

(1) Arnott, l. c. pag. 146.

b) febris asthenica, torpida, nervosa, typho haud dissimilis, quae his ex rebus cognosci potest: incipere solet ex frigore, vel algore, quem modo ardor sequitur, pulsus fit frequentissimus, (120—140) mollis, suppressus, filiformis, inaequalis et intermittens (1).

Initio morbi anxietas et inquies adest, oculi hebetescunt, oris lineamenta perturbantur; postea, si tunica venarum intima inflammata erat, atque secretum puriforme et fluidum in succum et sanguinem receptum est, dolor oritur premens in regione frontali, aurium susurrus et insomnia, quam paullo post status somnolentus sequitur, in quo aegroti praecipue tempore vespertino blande delirant, interdum etiam furibunde. Nunc desinunt queri, et de corporis affectione false dijudicant, prostratio virium permagna est, animi defectus intrant, facies collabitur, respiratio celerrima, inaequalis, tussis brevis, sicca; cutis est modo arida, modo frigida, modo sudore liquescit, modo calor mordax adest (2). Lingua primo rubra et sicca fit, tum integumento subnigro inducitur, dentes, gingiva, nares, labia aspectum praebent fuliginosum, ita ut omnia typhi symptomata adsint.

c) Febris lenta, si inflammatio chronica aut subacuta erat.

C. Symptomata sympathica.

Pure in sanguinem recepto inflammationes, purisque depositiones aliis in organis oriuntur, quas febris asthenica, de qua supra diximus, semper sequitur. Pulmonum affectiones cognoscuntur ex tussi brevi, sicca, dolore, co-

(1) Ribes, l. c. Revue médicale tom. III., 1825. p. 5. J. P. Frank, l. c. Lib. II, pag. 119.

(2) Balling, l. c. pag. 95.

lore faciei, et ex signis percussionis et auscultationis. Quum venae supra diaphragma (1) inflammatae sunt, symptomata adsunt cordis dextri inflammati, palpitationes cordis sub processu ensiformi vehementissimae, respiratio molesta et oppressa. Si hepar affectum est, regio hypochondriaca dextra inflatur, saepe dolor adest, sapor amarus, nausea, vomituritio, vomitus ipse biliosus, color scleroticae et urinae ictericus, qui interdum per totum corpus extenditur, lingua sicca, materia subnigra obtecta est, alvus inflatur, diarrhoea intrat. Interdum etiam petechiae erumpunt, parotides intumescunt, vel gangraenescunt, lingua tremiscit, labiorum spasmus adest.

Tunicas serosas articulosque ipsos saepenumero affici veteres medici non perspexerunt, quippe articulorum rheumatismum adesse putaverunt (2), etsi Reil (3) dubitavit, illos dolores rheumaticos fuisse, donec Arnott et Hope accuratissime hanc rem exposuerunt.

Nimirum dolor acutissimus in articulo quodam sentitur, qui interdum hoc loco evanescit, alio apparet, atque suppuratione finiri solet. Similes inflammatoriae irritationes etiam in pleura, peritonaeo, atque arachnoidea observantur. Saepissime etiam tela cellulosa vasaque lymphatica corripiuntur, ut in phlegmasia alba dolente.

V. EXITUS.

1. In dissolutionem perfectamque valetudinem sudore, urina et alvo critica tum observatur, si phlebitis acuta quidem, sed mitior atque benignis tantum e causis orta erat; qui exitus illo morbi tempore exspectari potest, quo exsu-

---

(1) Schoenlein, l. c. pag. 152. ss.
(2) Dance, l. c. pag. 53.
(3) Reil, l. c. pag. 334.

datio lymphae plasticae et suppuratio nondum evenerunt. Phlebitidem autem chronicam semper sequuntur venarum desorganisationes.

II. In suppurationem, si phlebitis per longius tempus duravit, neque remedia, ad eam supprimendam apta, adhibita sunt. Tum abscessus formantur, qui, ut ita dicam, ad modum calculorum precatoriorum in corona secundum venam inflammatam apparent et duabus valvulis finiti sunt. Phlebitis acuta e causa traumatica orta brevi tempore in suppurationem transire solet, quae horripilationibus cognoscitur vehementissimis, quas ardor summus sequitur. Tamen in hoc quoque stadio fauste exituram phlebitidem sperare licet, si alii abscessus existunt talibus in organis, quorum functio ad vitam servandam necessaria non est. Itaque non desperemus de aegroto, si crises completae per sudorem, urinam et alvum intrant, atque si Miliaria erumpunt (1).

III. In effusionem lymphae plasticae et obliterationem, quae ex eo cernitur, quod duritie venae perseverante atque intumescentia symptomata inflammationis remittunt, vena pallescit, neque porro oculis animadvertitur, sed paullo post funiculum durum relinquit, infra quem artus tumescit, quoad sanguinis circulatio ramis collateralibus restituta sit (2).

IV. In ossificationem, ut narrat Balling (3), cujus ceteri scriptores mentionem non faciunt.

V. In mortem:

a) aut cordis paralysi in morbi fastigio.

---

(1) Naumann, l. c. pag. 646.
(2) Schoenlein, l. c. pag. 154 et Hodgson l. c. p. 538.
(3) Balling, l. c. pag. 170.

b) aut crisibus spuriis, e. g. abscessibus in organis internis et febri lenta.

c) aut hydrope universali, qui semper ex inflammatione venarum abdominalium oritur, nisi inflammationem prius dissolvere possumus.

d) aut sanguinis extravasatione et haemorrhagiis internis.

VI. Signa pathologico-anatomica.

Ad accuratiorem horum exituum cognitionem consentaneum mihi esse videtur, mutationes illas, quae in corporibus phlebitide defunctorum inveniuntur, paucis verbis complecti. Quum autem doctissimus atque sagacissimus ille Gallorum dissector Cruveilhier caeteris hanc rem copiosius tractaverit, eum potissimum sequi mihi liceat:

Initio phlebitidis tunica venae intima rubore inaequali instructa est, qui paullo post aequalis atque obscurior fit, tum relaxatur; pelluciditate perdita, secundum Balling(1). Contra quem Cruveilhier neque tunicam venarum intimam, neque ceteras tunicas inflammationis signa prae se ferre contendit. Jam ad observationes viri modo nominati me convertam: primo tempore in phlebitide sanguis coagulatur, tum decoloratur, atque pus, quod interdum jam primo in stadio formatur, includit, ex quo sequitur, pus inter coagula inclusum circulatione sanguini immisceri non posse, sed aut absorberi aut venae parietes perforare, atque inter telam cellulosam effundi; quo facto vena obliteratur. Quum autem coagulum evanuit, ita ut sanguis cum pure mixtus sit, abscessus in pulmonibus, hepate, liene,

(1) Balling, l. c. pag. 100.

cerebro, membranis synovialibus, serosis, tela cellulosa et aliis in partibus inveniuntur(1). De horum abscessuum origine paene tot sententiae existunt, quot auctores hac de re disseruerunt; mihi quidem neque eorum, qui abscessus dicunt ex tuberculis praeexistentibus, neque eorum, qui eosdem metastasi aliqua oriri contendunt, sententia placet; sed illa illustrissimi Cruveilhier proxime mihi ad veritatem accedere videtur, qui ex sanguinis singulari mutatione originem illos ducere demonstrat.

In cadaveribus venae sunt amplificatae, tunicae firmae spissatae, facile rumpendae, elasticitate carentes, interdum cum aliis organis concretae. Si phlebitis est chronica, venae non recte, sed sinuose currunt, lympha coagulata expletae et obliteratae sunt. In vicinitate earum materies purulenta invenitur, in venis ipsis etiam materies quaedam polyposa, quae vix a parietibus removeri potest. Tunica intima saepenumero purpurea, opaca, rugosa atque tuberosa, sine splendore, crassa, spongiosa, villosa est. Interdum etiam tunicae, et media et externa, valde rubefactae sunt atque concretae, ut vena funiculo simillima sit (2).

In ceteris corporis regionibus hae mutationes oculis objiciuntur: membranae cerebri, inprimis piae matris vasa sanguine injecta sunt; arachnoidea solito crassior, opaca, inter hanc et piam matrem lympha exsudata, ventriculi liquoris serosi majore copia referti. In pleurae et pericardii cavitate exsudatum puriforme inest, in cordis pulmonumque superficie lympha coagulata exsudata est; pulmones ipsi variis in locis hepati similes sunt atque pure infiltrati, — membranae synoviales inflammatae et materia

(1) Arnott, l. c. pag. 179.
(2) Schoenlein, l. c. pag. 153.

purulenta extensae, cartilagines deletae, ossa nudata (1) — tunica ventriculi et totius tractus alimentarii mucosa rubra, relaxata, interdum exulcerata, saepissime peritonitidis signa (2); lien et renes rarissime mutati (3).

VII. Prognosis.

Phlebitis in morbis numeranda est perniciosissimis, qui vitam summum in discrimen vocare possunt, partim quod sanguinis circulationem obliteratione venarum majorum tamdiu impedit, quamdiu sine ullo periculo fieri non potest. Neque vero omnes venarum inflammationes ejusdem momenti sunt, restat igitur, ut in prognosi constituenda ad ea, quae sequuntur, respiciamus:

a) ad decursum phlebitidis: acuta enim semper majus periculum affert quam chronica;

b) ad sedem atque ambitum inflammationis: quo enim remotior ab organis centralibus phlebitis, eo melior prognosis; inflammatio venarum cutanearum interdum nihili aestimanda est;

c) ad venarum magnitudinem: quo majus vas, eo majus periculum;

d) ad caussas: phlebitis ex simplicibus laesionibus orta, ut ex venae sectione, benignior est; mala autem prognosis existimatur, ubi constitutio venosa praevalet, varices adsunt, aut aliud systematis venosi malum reperitur. Phlebitis sponte sua orta pessima est, praesertim quum plerumque venas internas afficiat, id quod saepe tum demum, si curationis spem amisimus,

---

(1) Arnott l. c. pag. 180.
(2) Dance l. c. pag. 51.
(3) Ibid. pag. 72.

cognoscitur. Simili modo exitum capitalem praesagire possumus, si phlebitis aëris constitutione propria, praedispositione quadam atque rerum putridarum resorptione oritur (1);

e) ad aetatem: in puerili atque senili aetate rarissime occurrit, sin unquam, eo infestior est;

f) ad sexum: quum in feminis systema venosum certis temporibus praeponderet, ex opinione Ballingii in majore discrimine versantur feminae quam viri.

g) ad febris comitantis gradum et indolem: pessima est prognosis, si typhi symptomata jam adsunt; phlebitis in primo stadio ac majore reactione febrili vacua, faustam praebet prognosin; dubiam autem, si inflammationis telae cellulosae in corporis superficie et tunicarum serosarum et synovialium in articulis intrant. Phlebitis sine febri nullum periculum neque vitae neque valetudini affert;

h) ad organorum affectorum dignitatem. Inflammatio venarum uteri, hepatis et lienis meliorem spem praebet quam pulmonum, cerebri, potissimumque sinuum durae matris et cordis ipsius;

i) ad exitus: venarum obliteratione minorum intrante, prognosis bona est, quia sanguinis circulatio ipsa ramis collateralibus restitui solet; si vero suppuratio jam adest, caveamus, ne pus sanguinem inquinet, ideoque ne cum ipsa antiphlogistica methodo novam quandam efficiamus inflammationem venarum, quae vitae periculum summum afferat.

---

(1) Berndt, Entzündungen. Thl. I., §. 155.

VIII. Cura.

Indicatio prima causalis: providendum est omnino, ne oriatur phlebitis, id quod cautione saepissime et prudentia assequi possumus; qua re operationes, quibus venae magnae laeduntur, nonnisi summa necessitate coacti, instituamus, easque acutis mundisque instrumentis. Omnia vulnera bene mundata, si fieri potest, per primam intentionem sanare studeamus, quod quum post amputationes saepe prospere non contingat, videamus ne aër venas attingat, neve pus accumuletur malignum, atque fascia supra vulnus comprimente impediendum est, quominus illud resorbeatur (1).

Quaeque superficies suppurans, in qua multae venae propagantur, semper bene purganda est, vulneraque caute obliganda, et omnia, quae ea possint irritare, prohibeantur. Quam cautissime instrumento acuto et puro vena secetur, incisio satis magna sit, ita ut sanguis sine impedimento profluat, neve vulnus eo obstruatur, neve permulcendo vel specillo applicando margines irritemus necesse sit. Si venae sectio repetenda est, ne idem vulnus distrahamus neque ad sanguinem mittendum aperiamus. Eodem modo semper timendum est, ne quid detrimenti capiat aegrotus, si juxta priorem locum primis viginti quatuor horis praeterlapsis incidimus.

Abscessus ampliores, si periculum adest, ne pus resorbeatur, mox aperiendi sunt; et in fracturis ossium comminutis id videndum est, ne assulae venas irritent. Sanguinis coagula, seu placentae partes post partum in utero remanentes injectionibus emollientibus iisque saepe repetitis, sunt removendae, maxime autem puerperae caveant,

(1) Velpeau de la phlébite etc. Paris 1829.

ne lectum justo citius relinquant. Praeterea ad caussas remotas, ad refrigerationem sic dictam, exanthemata suppressa et cetera respicere eaque removere debeamus.

Indicatio secunda: cura morbi ipsius, in qua praecipue animum advertere debemus ad inflammationem ipsam, quod attinet ad sedem, ambitum, gravitatem et reactionem universalem, ex qua proficisci solet morbus universalis secundarius, qui saepissime ex sanguinis contaminatione oritur; tum ad hujus morbi elementa singula, nempe mixturam sanguinis depravatam, ad inflammationes secundarias, quae cachecticae habendae et pro sede atque magnitudine vario modo aestimandae sunt; denique ad ea damna, quae ex venae obstructione oriuntur.

In inflammationem venarum ipsam ex omnium doctissimorum medicorum sententia omni modo pugnare debemus, ne suppuratio neve lymphae plasticae exsudatio intret. Quum autem propter totius venarum systematis statum maxime irritatum, offensiones quaeque, etsi remotissimae a loco affecto institutae, ne majus afferant periculum, timendum est, nemo erit, quin therapiam phlebitidis difficillimam esse contendat. Locales venae inflammationes, quae nondum per longius tempus exstiterunt, atque sine reactione febrili, statim supprimere possumus praecipue multis hirudinibus (20—30—40), quarum applicatio saepius in utroque venae latere repetenda est. Quo facto diligentissime haemorrhagiam cataplasmatibus emollientibus et narcoticis (1) seu balneis calidis augeamus et sustentemus; sin vero inflammatio jam telam occupavit cellulosam, indeque pseudoerysipelas in cute ortum est, fortasse incisiones, unam lineam profundae, quinque lineas longae hirudinibus prae-

(1) Schoenlein l. c. pag. 155.

ferendae sunt, quae iterentur, nisi cutis tensa relaxatur. Ceterum si venae non in superficie sitae sunt, etiam ex hac methodo nihil speremus, eamque potius omittamus.

Sunt autem, qui tum fomentis frigidis unguenti hydrargyri cinerei unctionibus, remediis plumbicis, aluminis solutione, unguento cum opio et camphora parata utantur. Alii omnia haec remedia frustra adhibuerunt, atque fomenta volatilia, ab Hodgson commendata, repudiant, cataplasmata contra emollientia summopere laudant. Nonnulli ut arteriae compressione sanguinis affluxus diminuatur suaserunt, ne progrediatur inflammatio. Simili modo Hunter (1), qui inflammationem facillime amplius propagari, ipsumque cor pure cum sanguine commixto affici posse observavit, vena supra locum inflammatum compressa, inflammationem ipsam terminare tentavit, semelque exitum experimenti optatum vidit. Kreysig (2) autem venam infra locum inflammatum comprimi vult, ut sanguinis impetus prohibeatur. Suppuratione jam orta Dance (3) Hunteri sententiam probat, qua impediatur, quominus pus sanguini immiscetur. Huntero denique consentiunt Abernethy, Reil, Hodgson, Sasse; sunt autem, qui hoc remedium periculosissimum arbitrentur, quod vas iterum irritetur novaque inflammatio provocetur, ut Balling, qui in casu ancipite venam inflammatam denudari, dissecari, ligaturamque applicari mavult, quocum unum et idem sentit Chapmann.

Inflammatoria autem febri etsi modica ex phlebitide orta, hirudinum applicatio sola non sufficit, sed primo quo-

(1) Hunter l. c. pag. 61.
(2) Hodgson l. c. pag. 532. nota 27.
(3) Dance l. c. pag. 135.

que tempore venae sectiones instituendae sunt, eaeque largae saepiusque repetendae, si venarum acuta inflammatio latius progreditur; et si internae venae ipsae afficiuntur, neque in vena inflammata, in trunco ab eo remotiore. Caveas ceterum, ne pulsus oppressus, parvus, debilis et character febris nervosus vel torpidus a venae sectionibus te absterreat, lipothymiae enim ipsae inflammationem ad cor propagari demonstrant (1). Tamen hae venaesectiones initio modo morbi admittendae sunt, postea, etsi non plane omittendae, maxima saltem cautione. Facile enim fieri potest, ut organismus debilitatus ad crises perficiendas aptis careat viribus. Praeterea totus medicaminum antiphlogisticorum apparatus praesto sit, balnea tepida et interne simul propinentur laxantia talia, quae majorem secretionem tractus alimentarii efficiant. Si facies rubescit, si ardor ingens adest atque symptomata icterica apparent, solutione tartari stib. gr. IV—VII tamdiu utamur, donec alvi fluxus aquosi sequantur. Obstructioni alvi soli subveniamus pulvere vel pilulis ex jalappa, hydrargyro muriat. mit. et cremore tartari paratis (1). J. Frank (2) infusum stipit. dulcamarae, Naumann acidum hydrocyanic. caute adhibitum commendant. Denique temperantia sic dicta, et refrigerantia, ut salia neutra et media, nitrum et ammonium muriaticum. Diaetam quoque et regimen his remediis adaptandum esse nemo est quin intelligat; aegroti potione utantur hordei vel avenae decoctis cum acidis vegetabilibus; sensus aegrotorum ne irritentur curemus, animus servetur quietus, lectus aërque aegros circumdans, sint subfrigidi, pars affecta pendeat neque moveatur.

In venarum inflammationibus minus acutis, praecipue vero dyscrasicis et rheumaticis ex vesicatoriis secundum venae inflammatae decursum adhibitis commodi aliquid exspectari potest. In phlebitide chronica dispositio atque in primis causae dyscrasicae occasionales respiciendae sunt. Quum propter lentam inflammationem morbus initio difficile cognoscatur, plerumque stadio inflammatorio praeterlapso complicationes periculosissimae sunt impugnandae. Locales sanguinis detractiones hirudinibus vel cucurbitulis instituendae sunt, venis abdominalibus inflammatis in perinaeo, quamquam venae sectiones non semper omittere debemus. Sunt etiam, qui ex curatione per inediam et ex decocto

---

(1) Schoenlein l. c. pag. 155.
(2) Ibid.
(3) Naumann l. c. pag. 801.

Zittmanni eventum faustum exspectent. Neque minus aquae minerales refrigerantes atque resolventes, et ex his Marianae commendandae sunt, si dispositio adest atrabilaris.

Quum autem jam typhi symptomata conformata sunt, scriptores nondum inter se consentiunt, quaenam remedia tum sint impendenda: alii antiphlogosin continuandam esse judicant, ut Dance, qui quamvis hoc in stadio remedia antiseptica sint indicata, venae sectiones autem viribus maxime prostratis contraindicatae, tamen venaesectionem esse periclitandam censet, quoniam una cum sanguine etiam pus e corpore amoveatur, quod in totum organismum vim habeat perniciosissimam. Alii omnia remedia illa, quae in typho unquam adhibita sunt, mirifico paene modo etiam hoc in statu valetudinis restitutioni inservire affirmant; tamen nulla adhuc nota sunt, quae vi specifica gaudeant.

Balling aegrotis suis, simulac prima typhi symptomata apparuerunt, tartarum stib. cum ipecacuanha magna dosi aliquoties dedit, atque in balneum tepidum immitti eos jussit eo consilio, ut crisin efficeret universalem. Quo facto profuso sudore ingresso alvi fluxus et vomitus critici orti sunt et aegrotus convaluit. Saepius etiam tartar. stibiat. (1) ob gastrica symptomata adhibitus, sudorem universalem provocavit, morbique exitus sequutus est benignus.

Quare simulac inflammationes et universales et locales remiserint, remedia interna atque externa diaphoretica huic stadio aptissima nonnulli medici commendant. Secundariis inflammationibus eodem paene modo obstemus necesse est, ne quid novi detrimenti capiant aegroti. Irritatio diminuatur hirudinum applicatione remediisque antiphlogisticis. Quum autem tela cellulosa in corporis superficie affecta est, puris formatio maturanda, abscessus ipsi apto semper tempore aperiendi, nunquam ad dissolutionem sunt ducendi.

Tumoribus oedematosis ortis circulatio per vasa collateralia augenda est, atque talia remedia adhibenda sunt, quae resorptionem exsudati serosi efficere solent, ut hydrarg. muriat. mite, digitalis purpurea, vesicantia, inunctiones cum unguento hydrargyri cinereo, calor siccus, species aromaticae, involutiones frictionesque crebrae partis lana rasa calefacta. Sed neque hydrops anasarca neque universalis optimis remediis cedet, nisi ejus caussas removere possumus.

---

(1) Laennec über Brustkrankheiten. Tom. II. pag. 617.

VITA.

Ego Gustavus Adolphus Krüger, confessioni evangelicae addictus, die XIX mens. Januarii anno hujus saeculi XV natus sum Gedani, parentibus Friderico Theophilo, scriba publico, et Carolina Joanna, e gente Goss, quibus adhuc viventibus gaudeo.

Primo aetatis tenerrimae tempore mater benignissima Dei omnipotentis reverentiam cognitionemque menti meae impertivit, et me ad verbi divini ministros audiendos sedulo adhortabatur. Quum primis literarum elementis a patre instructus essem, in gymnasium urbis patriae, quod tum temporis auspiciis Ill. Schaub florebat, gratuito receptus sum, quod per undecim annos variis impedimentis atque casibus afflictatus frequentavi. Parentes dilectissimi ad theologiae studia capessenda me adducturi erant, quum autem a tenerrimis unguiculis multis iisque gravibus et chronicis morbis implicitus fuissem, mente animoque illi studio me addixi, quo, quibus ipse laboraveram, molestias hominum atque affectiones quam possem optime lenirem. Itaque gymnasio Gedanensi relicto nosocomium urbanum, quod a doctissimo et aestumatissumo Dr. Baum administratur, adii, neque eodem tempore artium liberalium studiis operam navare omisi. Testimonium maturitatis in gymnasio Mariae Insulae nactus auctumno anni h. s. XXXVIII Gryphiam me contuli, ubi a Rectore Ill. Kosegarten numero civium academicorum, a Decano spectatissimo Ill. Berndt ordini medicorum adscriptus sum. Scholis per tres annos interfui hisce:

Ill. Hornschuch de historia naturali universali, zoologia generali, de botanice generali et de plantarum cryptogamicarum historia audivi, cuius demonstrationibus corporum naturalium in museo zoologico, siculi plantarum in horto botanico, nec non excursionibus botanicis interfui:

Ill. Hünefeld de chemia theoretico-practica, pharmaceutica et de mineralogia; Ill. Erichson, de logice; Ill. Stiedenroth de psychologia; Ill. Tillberg de physica experimentali; Ill. Schultze de osteologia et syndesmologia, anatomia corporis humani generali et pathologica, de arte cadaverum rite dissecandorum, de anatomia comparata et de physiologia; Cel. Laurer de osteologia et syndesmologia, angiologia, neurologia atque splanchnologia. Praeterea

Ill. Seifert medicinae encyclopaediam et methodologiam, pathologiam generalem, semioticen, materiam medicam, medicinam forensem, methodum formulas medicas concinnandi, artem fascias rite adligandi me docuit;

Cel. Kneip in doctrina de ossium fracturis et in chirurgia quum generali tum speciali et ophthalmiatrice me erudivit, atque clinico chirurgico atque ophthalmiatrico duce eodem interfui.

Ill. Berndt de therapia generali, pathologia et therapia speciali, arte obstetricia, morbis infantium disserentem audivi. Eodem in clinico medico, nec minus in conversatorio, ore latino instituto, duce usus sum.

Augusto mense Gedanum redii, ubi nosocomium urbanum

usque ad Novembrum frequentavi; tum Berolinum me contuli, atque a Magnificentissimo Rectore Ill. Dieterici in numerum civium academicorum receptus, a Decano spectatissimo Ill. Juengken ordini medicinae studiosorum adscriptus sum. Quas scholas hac in academia audivi, hae sunt: Ill. Busch artem obstetriciam et theoreticam et practicam me docuit; Ill. Wagner medicinam forensem atque politiam medicam; Cel. Dann de morbis aurium disserentem auscultavi; Cel. Angelstein oculorum operationes in phantomate institutas mihi demonstravit; Cel. Buxbaum de morbis pectoris et cordis audivi.

In clinico chirurgico, medico, obstetricio duces mihi fuerunt viri Ill. et Cel. Juengken, Dieffenbach, Wolff, Romberg, Busch, quibus viris omnibus, optime de me meritis, gratias ago quam maximas, semperque eorum memoriam pio gratoque animo servabo.

Tentaminibus, cum philosophico tum medico, et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine superatis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores rite mihi concedantur.

Jam venio ad id, quod pio gratoque animo laetissimum est officium, eorum virorum liberalium, qui benignissime ac munificentissime beneficia in me contulerunt et accumulaverunt, memoriam celebrandi. Quamquam enim urbe patria ante hos quatuor annos relicta, omni re familiari carens, nihilo nisi firmissima Dei Optimi Maximi spe atque fiducia nixus, medicinae studium Gryphiae inchoavi, tamen nonnisi beneficiis large acceptis eventu praeter opinionem secundo gavisus sum: sodales societatis, quae ad sustinendos adolescentes, liberalium artium studiosos, in Borussia occidentali floret, per IV annos me adjuverunt, curasque meas levarunt; neque minus ex civium testamentis beneficiis aliis mactatus sum. Praeterea viri honorificentissimi atque liberalissimi, ab urbis consiliis C. E. nobilis a Frantyius, et A. Saltzmann, nec non doctissimus W. Baum, urbis patriae nosocomii administrator, et peritissimus navium artifex W. Klawitter nunquam me deseruerunt, quotiescunque eos adibam.

Gryphiae autem omnibus, quibus academia donata est, beneficiis frui mihi contigit; et ut Gedani doctissimo atque generosissimo professore Pflugk, heu nuper nobis morte praematura erepto, sic Gryphiae Doctori Creplin tutore, adjutore et, ut ita dicam, altero patre usus sum. Quibus viris omnibus pro tanta benignitate tantisque in me collatis beneficiis summam gratiam habere tempore nullo desinam.

THESES.

1. Corpuscula in semine caudata sunt animalia.
2. Inflammationes asthenicae non existunt.
3. Synchondrotomiam rejiciendam esse contendo.
4. Extractionem cataractae ceteris curandi methodis praeferendam censeo.